

TRIBUNAL SUPREMO DE LA SIGNATURA APOSTOLICA
DECRETO DEFINITIVO DEL 21-XI-1987
PONENTE EL CARD. CASTILLO LARA *

(*Omissis*)

SPECIES FACTI

1. Em.mus Archiepiscopus Archidioecesis X. decrevit, anno 1978, propter rationes indolis pastoralis et oeconomiae ecclesiam paroecialem S.E. in civitate A. non amplius cultui divino destinari; quae decisio, difficultatibus supervenientibus, solummodo a novo Archiepiscopo anno 1984 ad actum deduci coepit est, demolitione ecclesiae et subsequenti soli alienatione.

Quidam fideles in coetum seu consilium congregati, qui sese appellavit «Comité pour sauver l'Église paroissiale de S.E. à A.», praedictae decisioni diversis modis et inceptis adversati sunt atque, re ad Congregationem pro Clericis delata, interventum Summi Pontificis pro conservatione ecclesiae postularunt.

Congregatio primo favorabiliter accipere visa est Coetus instantiam (Litt. dd. 26 iunii et 16 iulii 1984); post tamen novem menses, rationibus mota quae ab Archiepiscopo oretenus communicatae sunt, rem prudentiae ac conscientiae eiusdem Archiepiscopi reliquit (Litt. d. 25 aprilis 1985), qui hac sibi favorabili decisione suffultus contractum ad demolendam ecclesiam cum quadam societate initiv.

2. Coetus die 28 iunii 1985 huic Supremo Tribunali Signaturae Apostolicae recursum exhibuit adversus decisionem Em.mi Archiepiscopi Archidioecesis X., expresse permissam litteris Congregationis pro Clericis diei 25 aprilis 1985, prot. n. 176011 I, qua statuta est demolitio praefatae ecclesiae.

Comprobatis a Rev.mo P. Promotore Iustitiae praecedentibus hierarchicis recursibus, de eiusdem Promotoris instantia, Em.mus Cardinalis Praefectus H.S.S.A.T., decreto, die 22 augusti 1985 exarato, iussit ut, ad normam art. 113 *Normarum speciarum*, exexecutio impugnatae decisionis suspenderetur.

Causa iam incepta et patronis utriusque partis constitutis, publicae administrationis patronus exceptionem peremptoriam proposuit de «defectu capacitatis et legitimacionis activae ex parte recurrentis».

Cum recursus huiusmodi ex parte coetus fidelium adversus actum publicae administrationis res omnino nova et practicis consectariis plena esset, H.S.S.A.T.

* Publicado en «Communicationes» 20 (1988), pp. 88-94, así como en otras revistas.

ministerium postulavit Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici authentice interpretando, quae sequenti dubio proposito: «Utrum christifidelium coetus, personalitatis iuridicae, immo et recognitionis de qua in can. 299, § 3, expers, legitimationem activam habeat ad recursum hieraticum proponendum adversus decretum proprii Episcopi dioecesani», responsum dedit: *«Negative, qua coetus; Affirmative, qua singuli christifideles, sive singillatim sive coniunctim agentes, dummodo revera gravamen passi sint. In aestimatione autem huius gravaminis, iudex congrua discretionaleitate gaudeat oportet».*

Responso hoc authentico accepto atque memorialibus, hac de re, a patronis necnon voto a P. Promotore Iustitiae denuo exaratis, Congressus H.S.S.A.T. decrevit die 22 augusti 1987: recursus «considerari nequit, ob defectum legitimationis activae ex parte Consilii recurrentis, neque considerari potest in casu recursus quatenus a singulis fidelibus propositus».

Adversus decretum Patronus recurrentis recursum interposuit ad normam art. 116 *Normarum specialium* ad collegium iudicans, de quo recursu Nobis est decernere.

IN IURE

3. Quaedam principia breviter recolere oportet, quae ad solutionem causae utilia videntur.

Ut quis ministerium iudicis legitime invocare possit, praeter capacitatem processualem habeat oportet sic dictam legitimationem ad causam seu legitimationem activam.

Iuxta can. 1476 «quilibet, sive baptizatus sive non baptizatus, potest in iudicio agere». Hic indicatur capacitas processualis quae in novo Codice pro personis physicis amplissime statuitur, adeo ut ad agendum non amplius requiratur ut quis sit baptizatus, id est ut sit persona seu subiectum iurium et obligationum in ordinatione canonica. Diximus pro personis physicis, quia compertum non est praescriptionem Codicis extendi posse ad personas iuridicas civiles.

Uti legitimatio activa intelligitur capacitas concreta ut quis ad determinatam controversiam solvendam tribunal adire possit. Quae legitimatio nihil aliud est quam peculiaris et iuridice tutelata relatio cum obiecto controversiae.

Aliis verbis, ut quis in casu concreto agere possit, non sufficit generica capacitas agendi, sed requiritur insuper ut titularis sit alicuius iuris subiectivi vel interesse legitimi, quod asseritur laesum esse.

4. Hac in re statuit can. 1737, § 1: «Qui se decreto gravatum esse contendit, potest ad superiorem hieraticum eius, qui decretum tulit, propter quodlibet iustum motivum, recurrere...».

Praescriptione huiusmodi, sat amplia, agnoscitur facultas recursum hieraticum proponendi; nullo tamen modo praetermittuntur supracitatae exigentiae capacitatis processualis et legitimationis activae.

Etsi non expresse statuatur, subintelligitur agi de subiecto capace id est quadam agnitione in iure gaudente.

Locutione «gravatum esse contendit» haud obscure indicatur fundamentum iuridicum legitimatis activae. *Gravamen* in casu praesupponit recurrentem ius aliquod subiectivum aut saltem interesse habere; quod quidem interesse, ut fundamentum praebeat actioni, intelligi nequit quocumque, sed debet esse, ut doctrina docet, *personale, directum, actuale et a lege, saltem indirecte, tutelatum*.

Relatio insuper proportionalitatis adesse debet inter interesse laesum et motiva, quae Superiorem duxerunt ad actum administrativum eliciendum.

5. Quae diximus, confirmationem inveniunt in responsione supra memorata Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici authentice interpretando.

Ad nomam praedictae interpretationis, christifidelium coetui, personalitatis iuridicae, immo et recognitionis de qua in can 299, § 3 experti, non agnoscitur capacitas recurrendi *qua coetus*; agnoscitur vero qua singulis christifidelibus, sive singillatim, sive coniunctim agentibus: quae ultima locutio denotat *consortium litis activum*.

Additur «dummodo revera gravamen passi sint»; quae conditio indubie ad legitimatem activam referenda est. Etenim non de quocumque gravamine agitur, sed de gravamine juridica consideratione digno, quod revera habetur non propter laesionem cuiuscumque utilitatis aut commodi, sed propter laesum interesse personale, directum, actuale, in lege fundatum et proportionatum.

IN FACTO

6. Consilium pro servanda ecclesia S.E. personalitate iuridica sive publica sive privata in ordinatione canonica caret (cc. 114; 116; 313; 322, § 1). Caret etiam agnitione ut consociatio privata ecclesiastica. Nullibi constat eius statuta recognita esse ab auctoritate ecclesiastica, ut requirit can. 322, § 2.

Ad norman igitur interpretationis authenticae supra memoratae *qua coetus* capacitem processualem non habet.

Neque recursus *qua coetus interpositus* sic et simpliciter haberi potest ut *litis consortium*; nam consortium litis, quod quidem possibile et legitimum est, ita ut fideles coniunctim agant, in limine recursus et communis consilio efformari debet; quo constituto, procuratorum mandatum patrono rite electo tribuere possunt.

In casu de quo agimus non omnia membra Coetus ac consociationis «...», in quam Coetus confluere videtur, fideles erant paroeciae neque efformare intendebant consortium litis, de quo verosimiliter cogitare coeperunt tantum post interpretationem authenticam Pontificiae Commissionis.

Neque admitti potest, ob rationes supra expositas, declarationem quorundam membrorum Coetus a Patrono recurrentis die 23 aprilis 1987 allatam, effectum habere retroactivum aut sanatorium ita ut recursos, ante qua a coetu exhibitus, nunc appareat ut recursus singulorum christifidelium.

Ex hoc capite ergo concludendum est recursum admitti non posse ob defectum capacitatis processualis, qui vero defectus minime sanatur posteriore declaratione, qua quidam ex recurrentibus asserunt se agere velle coniunctim uti *litis consortium*; desunt enim fundamentalia praerequisita.

7. Nunc autem perpendendum est utrum, supposita per hypothesisim capacitate processuali in recurrentibus, seu abstractione facta a defectu de quo nuper egimus, agnosci ipsis possit concreta legitimatio activa, aut, quod idem est, examinandum est *gravamen assertum*.

Examen huiusmodi non ad meritum causae pertinet, ut erronee asserit Patronus recurrentis. Agitur de praeliminari examine ad comprobandum utrum interesse, quod dicitur laesum decreto Episcopi, conditionibus respondeat supra memoratis.

Breviter, determinandum est num revera habeatur fundamentum seu titulus iuridicus sufficiens ad recurrendum, quod pendet a natura et quantitate gravaminis passi.

a) Iuxta Patronum recurrentis, «interesse princeps quo fideles S.E. gaudent... in eo ponitur quod ipsi ius habent ad propriam ecclesiam paroecialem, qua tales, nempe qua adscripti et membra illius paroeciae. Ius, vero ad vivendam christianam vitam in ambitu paroeciae suae, sive in spiritualibus sive in temporalibus» et insuper «pro futuro fideles S.E. incommensurabilia gravamina pati possent eo quod privati essent *iure suo primario habendi ecclesiam paroecialem paroeciae cui adscripti sunt...* immane est gravamen... quia ipsi privantur iure ad sibi servandam fidem, ad servandam et augendam institutionem in doctrina catholica, ad participandum divino cultui in suis sacris ritibus» (Memoriale pro recurrentibus, pp. 7 et 8). In altero Memoriali idem Patronus asserit: «Ipsi enim verum 'interesse' habent ad hoc quia decretum Ordinarii quod iubet demolitionem ecclesiae paroecialis eos *impedit quominus legitima iura sua exercere possint*, et obligationibus sibi pertinentibus parere».

Iuxta Patronum recurrentis, inter iura quae violentur demolitione ecclesiae S.E. adnumerantur: ius et officium ad communionem cum Ecclesia servandam (can. 209), ius adiumentum accipiendo ex bonis spiritualibus Ecclesiae (can. 213), ius ad persolvendum cultum (can. 214); ius ad educationem christianam (can. 217); obligatio subveniendi necessitatibus Ecclesiae (can. 222); ius et obligatio collaborandi in propaganda et sustinenda fide, atque -peculiariter- interveniendi in rebus temporalibus cum spiritu evangelico (can. 225); ius vivendi secundum doctrinam christianam, eamque cognoscendi et adquirendi (can. 229, coll. cum can. 213), etc.

Uti legenti patet, assertiones huiusmodi nimis probare conantur, et revera nihil probant. Falso praesupposito nituntur, scil., quod iura memorata cum quadam ecclesia paroeciali vel aede sacra vinculata sint, ac proinde eorum exercitium ab existentia certae et determinatae aedis sacrae pendeat; quod omnino absonum est. Si ita esset, fideles ad aliam non possent sua sponte transire paroeciam neque umquam auctoritas ecclesiastica paroecias supprimere, unire, dismembrare posset.

b) Cum agatur de destinanda ecclesia usui non sordido Codex Iuris Canonici exigit consensum eorum qui iura in ecclesiam sibi legitime vindicant et quod bonum

animarum detrimentum non capiat (can. 1222, § 2). Iura de quibus sermo fit in canone sunt praesertim iura patrimonialia vel eis assimilata, quae magna ex parte e fundatione vel aedificatione ecclesiae exsurgunt.

Suppressio ecclesiae S.E. pro recurrentibus fons esse potest quorundam incommodorum seu difficultatum, v. gr. ob longius iter faciendum, ob deficientem organizationem vel haud prosperam curam pastoralem et alia. Sed huiusmodi interesse, etsi reale, non appetit in lege ita fundatum ut legitimet verum recursum, ansam quidem praebere potest pro *petitione gratiae*, minime vero pro recursu iuridico.

c) Idem dicendum est de interesse generali, quo omnes fideles habent pro conservandis aedibus sacris vel monumentis Ecclesiae arte vel historia praestantibus. Fideles possunt auctoritati ecclesiasticae superiori optata sua vel querimonias pandere; interesse tamen huiusmodi fundamentum nullo modo praebet pro recursu hierarchico exhibendo.

Sedulo distinguendus est recursus, qui effectus iuridicos parit, a recursu lato sensu accepto quod fideles auctoritatem ecclesiasticam certiorem faciunt de abusibus ab inferiori auctoritate forte patratis. Huiusmodi interventus denuntiatio potius appellari potest et nullius condicionibus ex parte recurrentis subiacet.

Quibus omnibus, tum in iure tum in facto, mature perpensis, Collegium Em. morum Patrum Cardinalium, pro tribunali sedens ac solum Deum pree oculis habens, Christi nomine invocato, circa propositum recursum respondendum censuit ut respondeat: «Negative, seu recursum diei 28 iunii 1985 interpositum a 'Comité pour sauver l'Église paroissiale de S.E. à A.' non esse admittendum ad disceptationem propter defectum capacitatis processualis necnon legitimacionis activae in recurrentibus».

(*Omissis*)